DE USU CORTICIS PERUVIANI IN PURULENTÆ MATERIÆ COLLECTIONIBUS...

Gaetano Torraca

2.

DE USU CORTICIS PERUVIANI

IN PURULENTÆ MATERIÆ COLLECTIONIBUS

DISSERTATIO

PRO SOLUTIONE PROBLEMATIS

AB REGIA SCIENTIARUM ET LITTERARUM

ACADEMIA MANTUANA

Propoſiti ad Annum 1777.

A CAJETANO TORRACA

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORE,

Et in Centumcellarum Urbe

MEDICO PRIMARIO, EXHIBITA,

AB EADEMQUE ACADEMIA

TERTIO LOCO PROBATA.

MANTUÆ MDCCLXXIX.

Typis Hæredis Alberti Pazzoni, Regio-Ducalis Typographi.

SUPERIORUM FACULTATE.

Exerceto circa morbos duo:
Ut juves; aut non noceas.

Hipp. Epid. Lib. I. ſect. 2. conſtit. temp. 2.

ARTICULUS I.

Præloquium.

Certior factus Medicus collectionem adeſſe puris in aliqua corporis parte, uti Peruviano Cortice debet. Innoteſcat puris indoles, & quos valeat horridos producere effectus, innoteſcat vis Peruviani Corticis quanta ſit ad pravam puris indolem moderandam, ejuſque arcendos effectus, compeſcendoſve: tuncque erit demonſtratum, quod affirmative propoſuimus in obſequium celeberrimæ Regalis Mantuanæ Academiæ. Verum iis deficientibus, vel non opportune comparatis notionibus, quid ſane pronunciari poſſit, quod adprobationem mereatur? Eæ autem notiones ex obſervationibus, experimentiſque deſumendæ, non ex ſpeculationibus. Speculandum vero circa obſervationes, & ratiocinandum ſuper experimenta, ut quæ inde ad Medicam praxim reducenda ſunt, cuidam regulæ, atque methodo ſubjici poſſint (1).

(1) Hipp. Præceptiones. A. Corn. Celſ. Lib. I. præfat.

ARTICULUS II.

Quid pus.

I. PUs ex animali eſt ſubſtantia. *Ex carne pus, purulentum ex ſanguine* fieri obſervaverat, dixeratque Hippocrates (2). Carnium, carnoſarumque partium corruptionem, & permutationem definire placuit *Abſceſſum* Paulo Æginetæ (3). Verum integra animalis Corporis œconomia pus nullum admittit.

II. Quin imo non efficitur pus, niſi in morboſa Corporis diſpoſitione: atque ſolent ut plurimum concomitari febris, & dolor (4); ſanguis diu in vaſis remorans, ſeu in quavis cavitate coactus, diſſolvitur tandem in *purulentum* liquidum, quod continentia ſolida penetrans, diſſolvit quoque, atque cum eo hæc ſimul in pus degenerant. Nempe partes elementares ſanguinis, ſeu globuli ſint, ſeu fibrillæ (5), a mutuo nexu ſecedunt, acre alchalinum volatile ſal, ſeu putridum diſſolvens miaſma exaltatur, quod gluten, quo ſolidorum fibræ cohærent, deſtruens, has disjunctas atterit, ſu-

(2) Lib de Alimentis Galen Com 2 Aphoriſm 47

(3) Lib IV c. 18 Boher de abſc Wanſv com ad eundem.

(4) Hipp Aph 47 ſect 2 Præter naturam putreſſeri animalem ſubſtantiam affirmavit & Galen. c. 6. Lib. V. de ſimpl. medic. facult., & alibi.

(5) Ex fibris ſanguinem conſtari dixit Hipp. ſeu Auctor Lib de carnibus Galen de Elem Lib II. Fernel de ſang nat Lib VI. c 7. Videatur ſummus Hallerus Phyſiol. de ſanguine &c. Poſtremo cl. Hier. David. Gaubius Pathol &c., fibras, cruorem, ſerum aſſeruit tria eſſe ſanguinis Elementa. Fibrarum opinio non aſpernenda videtur. Communior ſententia ſtat pro globulis. Annulos exiſtimat ſanguinis particulas cl. Adurre. Aſt fibrillæ raptæ in rapidiſſimum per cylindros motum nonne poſſunt in orbiculos figurari, & ſimulare globulos, annulosve? Sed de quæſtione hac non opportunus hic ſermo.

ſubigitque, inque ſubſtantiam albeſcentem, ſpiſſam, glutinoſam convertit, quæ dicitur pus.

III. Revera in putrefactionibus primum generatim diſſolvi cruorem, quam ſerum probavit ſuis experimentis etiam cl. Pringle (6); atque idem exiſtimat ſal alchali aliud eſſe a miaſmate illo putrido ſolvente, & exhalante ab ipſis jam putridis carnibus (7). Verum accepta eſt notio illa, qua alchaleſcere dicuntur ſubſtantiæ animales, cum putreſiunt.

ARTICULUS III.

Quibus cauſis pus efformetur.

IV. At ſanguis diu etiam reſtitans non ſemper in purulentum decomponitur liquidum. In ventriculis, auriculiſque cordis, in aneuriſmatibus, in utero, &c., remorans ſanguis congeritur in polypoſas concretiones, quæ intactæ per longum nimis temporis ſpatium, partium additione excreſcunt potius, & in durißimas albas ſubſtantias ſæpe abeunt. Alia igitur neceſſe eſt cauſſa accedat, ut ſtagnans cruor in purulentum tranſeat. Aliunde coactus extra quidem vaſa cruor putreſcit calore etiam graduum 50., ac minori: cum præſertim libere aer, circum undique penetrans, degenerationi huic promovendæ cooperetur (8). Hæc autem liberi aeris cooperatio deeſt pro

(6) Loc. cit. memor. 7.

(7) In exper. de ſepticis ſubſtantiis. Sal volatile oleoſum ſanguini recens educto mixtum deſtruit, ſeu diſſolvit globulos quamcitiſſime. Vid. Huxham eſſais on feverſ cap 5. of the diſſolved, and putrid ſtate of blood pag. 46. ex Leeuwenhoek.

(8) Haller Phyſiol. Lib. V. ſect. 2. §. 7.

degeneratione ſanguinis in purulentam materiam, ſeu in putridam ſubſtantiam, cum intra vaſa obſtruens remoratur. Exploditur vero aer contentus ſtatim ac ſanguis æque ac ſolidæ partes putreſcunt quovis modo, ita ut putrefactionem ſequatur immediate aeris exploſio.

V. Itaque congeſtus in vaſculis ſanguis efficitur purulentus accedente forſan, ſeu exaltato *phlogiſto*. Suppuratio revera ſequitur inflammationem (9). „ Inflammatur ulcera tunc cum ad ſuppurationem ten- „ dunt; ſuppurantur autem alterato ſanguine, & ca- „ lefacto, donec putrefactus talium ulcerum pus fiat.„ Hæc docuit Hippocrates *de ulcer*.

VI. Inflammatio præcedens non diſcuſſa, non reſoluta dat ſuppurationi occaſionem (10). Etenim citatior fit cordis motus, quo major obſtructorum vaſculorum eſt numerus, major proinde reſiſtentia. Exinde urgente continuo liquido vitali in obſtructa vaſa, ejuſdem ſanguinis, qui jam diu coactus eſt, jugiterque percuſſus, atque excitatis moto aucto phlogiſticis moleculis penetratus, tandem particulæ a coheſione ſecedunt mutua, atque urgente eo magis a tergo motus impetu illud denique *purulentum* efformatur: ſcilicet ſejunctæ omnino particulæ a coheſione, in fluidius liquidum laxiuſque convertuntur, aere *evolante*, & volatili illo putridiſero vapore, ſeu alcbalino ſale e compedibus ſolutis.

VII. Penetrans inde hoc *purulentum* continentium ſo-

---

(9) Hipp de ulceribus verſ. mihi 20. edit. Venet noviſs.

(10) Vid. Boherauv. aph. de cogn. & cur. morbis §. 387., & Comm. Wanſv. ad §. 402.

ſolidorum fibras, has item a nexu, quo firmæ ſunt, ſeparat, emollit, deſtruit, atque in *pus* convertit. Re ipſa quo partes ſolidæ laxiores ſunt, facilius putreſiunt, admittunt nempe promptius ſubtile putridum diſſolvens inter laxæ cohesionis fibras (11). Ideoque cum nexus particularum ſanguinis nimis compactus eſt, & ſolidarum cohesio partium adeo valens, ut rigiditatem conſtituant, tunc ſuppurationi reſiſtitur diu: ac ſi ſuppuratio, ut ſæpe evenit, pro abolendis inflammatione, tumore, &c., neceſſaria exiſtimetur, ſubveniendum tum porro eſt remediis, quæ maturantia dicuntur, quæ nimirum emolliant, laxent, tranſpiratum impediant, atque etiam ſtimulando calorem adaugeant (12).

VIII. Quod ſi vis vitæ, motum liquidorum ſuſtinens, accelerans deficiat, vel langueat, nullum & *pus* generabitur (13). Putreſcent quippe in cadaveribus carnes, & ſanguis: ſed tum pro ſolvente ab omni cohesione particularum elementarium accedit nedum athmosphæræ calor, ſed & aer ipſe exterior. Internus quoque nitens aer perpetuo contra compedes, reſiſtentiam cohesionis ſuperans (vitæ causis emortuis), elementares ipſas particulas, fibraſque ſejungit, &c.

IX. At certe pro ſuppuratione motus requiritur, calorque major in vitali fluido, quam qui in ſanitatis ſtatu eſſe debeat. Illudque pro Corporum œcono-

(11) Pringle exp. l. c.

(12) Et veteribus id notum fuit. Celſus Lib. V, cap. 18. exhibet talia ſub numeris 9. 10. 11. Vid. Boerh., ejuſque laudatiſſimum Comm. Wanſv. ad § 403.

(13) Wanſv. ib.

mia æterna Providentia ſapientiſſime diſpoſuit, ut motus quidem liquidorum æqualis, quo ſanitas conſervatur, puris, putrediniſque præternaturalem generationem prohibeat: eo etenim compinguntur invicem elementares partes, impediturque earum diſceſſus a mutua coheſione, internuſque aer, aliaque volatilia elementa iis vinculis coercentur (14). Et licet tendentia vitalis liquidi per vaſa circumducti ad putredinoſam acrimoniam, ſeu potius ad putridam diſſolutionem vigent continuo; illa tamen reparatur & perpetuo aſſumptis alimentis, iiſque præſertim aceſcentibus (15). Celerior autem motus, atque celerrimus tendentiam ad diſſolutionem urgendo adauget: idque perpetua obſervatio, ipſaque ex phyſiologicis ratio docent.

X. Itaque ſeu mechanica motus adaucti actione, ſeu excitato per motum phlogiſto, ſeu potius utraque concurrente cauſſa, ſanguis in vaſis remorans tandem purulentus efficitur. Hoc *purulentum* Hippocratis *ex ſanguine*, *pus* ex carnibus procreat: elementares nempe ſolidorum fibras penetrando, a coheſione ſolvendo, vincula aeri, aliiſque volatilioribus elementis deſtruendo. Hæc eadem valet item operari efficaciſſimum volatile illud putridiferum, quod ex putri jam Corpore exhalat, intus ab extra ſuſceptum, expoſitamque diſſolutionem fluidorum, ſolidorumque promptiſſime promovens.

AR-

---

(14) Haller ib. Lib. VI. ſect. 3. §. 14.
(15) Huxham l. c p. 56.

ARTICULUS IV.

Malæ puris qualitates.

XI. UBi motus liquidorum in inflammata vaſa & obſtructa urgentium ſit æquo violentior, tunc ipſum pus putreſcit (16), atque indolis efficitur peſſimæ, acrius nempe, tenuius, penetrantiuſque, gangraenoſum, fœtidum, quod certe horribilem quandoque virulentiam acquirere valet. Atque hæc peſſima puris indoles, quantumvis a qualitatibus præexiſtentibus ſanguinis repetatur ut plurimum, aut a venenoſo putrido miaſmate volatili ab extra ſuſcepto, tamen ab intentiori putrefactionis gradu deducenda non ſemel vere eſt.

XII. Characteres boni puris perpetua obſervatione notantur iidem, quos animadverterat Hippocrates (17): eſſe enim debet *album*, *æquale*, *leve*, & *quamminimum graveolens*. *Quod vero huic contrarium*, *peſſimum*. In quem Hippocratis locum, Galenus generationem boni puris ſuccedere aſſerit naturæ viribus ſecundum naturam vigentibus. Itaque docemur obſervatione, quod (I.) ſine prævia reſtitantia ſanguinis, ſine concomitante phlogiſtica diſpoſitione, & motu accelerato nullum efformatur pus, (II.) quod commendabile pus producitur valentibus ſecundum naturam vitæ viribus, motu quidem accelerato, ſed haud nimium, (III.) quod denique pus acquirit qualitatem plus, minuſve viru-

len-

(16) Notavit & Galenus Comm. 5. aph. 15.
(17) Hipp. in prognoſt. ſent. 42, & ex Hippocr. Galenus Comment. 1. progn. 1., & de differ. febr. 1.

lentam, quo violentior, diuturniorque calor, motuſve urgeant: quæ tamen virulentia augeri quidem poteſt, ſi externus fomes virulentus præceſſerit; ſi præextiterit acris liquidorum intemperies.

XIII. Quæ uſque nunc adnotavimus probant præcipue pus, quod *ex animalis ſubſtantia eſt*, putridæ eſſe, ſeu, juxta receptam notionem, alchalinæ naturæ. Id poterit & experimento evinci, miſcendo acida, præſertim vitriolica puri recenti, quod colorem permutat ex albo aut cinereo in ſubatrum, aut certe obſcurum. Urinæ multo fœtido pure ſaturatæ aquam thermalem martis vitriolo blande acidulam commiſcui: vidi mox cinereum immutari colorem, & poſt aliquot horas in atramentum fere converti.

XIV. Ubi album, denſum, æquale, leve, & minime graveolens eſt pus, minus quidem extricatur ex eo ſalis volatilis acris, putridiferi, plurimum vero, cum tenuius eſt, obſcurius, fœtidius· quas porro qualitates deteriores etiam bonum pus acquiret, ſi in *cavitate clauſa* calida diutius contineatur (18).

XV. Ceterum puris productio pari ferme paſſu procedit, ut ipſa humorum putredo: quod nulli locum dubio admittit, & Galenus ipſe jam ſcripſerat (19). *Putredo autem* (inquit) *humorum, quæ fit in vaſis, ſimilis eſt illi, quæ fit in inflammationibus, & abſceſſibus, & aliis tuberculis.*

XVI. Aſt probata quantumvis, & innegabilis ſit pu-

(18) Vid. W. Svieti, in Comment. ad Boerahav. de abſceſſu §. 387

(19) Galen. de febrib. Lib. I. cap. 7. & 8.

putrida alchalina puris natura (20); non inficiandum tamen eſt, quandoque acidam præſeferre indolem, cum præſertim Corpus acida peccat intemperie. Hoc evenit potiſſimum infantibus lacte enutritis, in quibus aceſcentia prævalet. In iis cruſta lactea aciditatis notas exhibet patentiſſimas, cum præſertim multo albo pure ſcateat. Ipſa lactantium tranſpiratio acorem exhibet ſentiendum. Nec rariſſime in adultis quoque aciditas dominatur. Pus aliquando aceſcere, Hallero referente, in pectore notatum eſt. Latet revera & in ſanguine acor: unde in liquidi vitalis decompoſitione poteſt ſe exerere, & manifeſtari acidum, ſeu, ut hippocratica phraſi loquar, conſpicuum fieri (21). „ Verum non perinde conſtans eſt, ut alchalina de„ generatio: diuturniori quippe evolutione ſua in „ putredinem totus evaneſcit (22). „

ARTICULUS V.

Horridi purulentæ materiæ effectus.

XVII. EVolat porro ex deteriori, & ichoroſo pure ſal acerrimus, qui exitiales quandoque effectus producere aptus eſt. Horum aliquos recenſuit Illmus, doctiſſimuſque Hallerus. „ Vapor deſtillati „ de peſtilenti bubone *puris*, quaſi fulminis ictu ma„ le curioſum Medicum proſtravit. A guſtatione te„ meraria ichoris exudantis a cancro mammæ Chirur„ gus

(20) Haller. Phyſiol. Lib V. ſect. 2. §. 8. not. 1.
(21) Hippocr. de vet. medic. num. 47.
(22) Hall. Phyſiol. Lib. V. ſect. 2. §. 32.

„ gus contraxit fœtorem teterrimum in ore uſque ad
„ mortem, quæ ex hoc ipſo contagio ſequuta eſt.
„ Ex ſolo cancri mammam Uxoris erodentis odore
„ interemptus dicitur Franciſcus Bellingerus. Ægro-
„ tarunt omnes, qui Valſalvæ abſceſſum hæpatis ape-
„ rienti adſtiterunt (23). „

XVIII. Sed & inter quam plurima, quæ adduci hic poſſent exempla, habeo inter amicos Chirurgum, qui multis ab hinc annis poſt navalem conflictum plurium vulnera Turcarum ampla tractare coactus, ex halitibus copioſiſſimi puris, quod ex iiſdem vulneribus educebatur, febrim denique contraxit fere peſtilentem, a qua licet poſt plurimos convaluerit dies, tamen diu nimis languens vixit; bene ſe habuit poſtea; ſed & variis infectionis notis, aliiſque accedentibus cauſis, tandem convulſionibus afflictus efferis revertentibus ſæpe, & caput præcipue extorquentibus, miſeram ducit adhuc quinto circiter ab hinc anno vitam.

XIX. Sed hæc notiſſima ſunt. De ulceribus, abſceſſibuſque internis permeans reſorptus per venulas ubique virulentus ille vapor, ipſumque pus, totum valet ſenſim ſine ſenſu ſanguinem putrefacere: nexum quippe particularum componentium deſtruit, & in putridum liquorem convertit, & in ſolida penetrans fundit & nutritium illud gluten, quo elementares ſtant fibræ; omnia etiam per illud magis coagulabilia liquantur, cruor, ovi albumen ipſum, & ipſum amnii liquamen, & adeps (24). Exinde contagia illa

non

(23) Hall Phyſiol. Lib. 5. ſect 2 ex variis Auctoribus.

(24) Vid. quæ ex Navier ſur les ammolliſſements des os refert Hallerus l c.

non ſemel irreparabilia ex tabidis cauſſa abſceſſuum ſeu pulmonis, ſeu hæpatis, ſeu viſceris cujuslibet.

ARTICULUS VI.

Quæ puri obſiſtant remedia.

XX. Virulentam vero, adeoque exitialem puris illam alchalinam, ſeu putridam naturam, quæ effectus plus minus horrendos efficax eſt producere, quod, quale remedium moderabitur? Antiſepticorum certe magna recenſetur copia in materia Medica· ultra enim ſales, ſpirituſque fermentatos, multæ etiam reſinæ, & adſtringentia antiſepticorum numero adſcribuntur (25).

XXI. Ac quod ad adſtringentia pertinet, licet poſſint quidem ut antiſeptica æſtimari, coagulationem potius fibrarum ſanguiniſque operantur, quam valeant veram illam ſubſtinere cohaeſionem elementarium mutuam partium, organicamque· cum tamen pleraque antiſeptica adſtringentium effectus minime edant (26), quod optandum eſt. Acida ſic vegetabilia, & præſertim mineralia putredinem avertere, & pus jam efformatum vincere poſſunt. Id potiſſimum obſervatum eſt obtineri ab Oleo Vitrioli. Acor mineralis ut validiſſimum remedium prædicatur ab Hallero: hoc eodem remedio peritiſſimi Practici, & ipſe ſapiens Sydenamius (27) variolas peſſimas ſuperarunt. In vario-

(25) Vid. exper. doctiſſimi Pringle mem. 3. exp. 11.
(26) Id. mem. 3.
(27) Op. med. pluribus in locis.

riolis anomalis præcipue nigris aſſerit hic Auctor ingentis uſus eſſe Spiritum Vitrioli. Attamen loquens de mineralibus remediis potentius reſpondere judicat indicationibus; numquam vero *ſpecifice* (28).

XXII. Acidularum thermalium, quæ Vitriolo Martis animatæ ſunt, experientia multiplici probatus eſt uſus in abſceſſibus uteri, hæpatis, renumque. Sed & gratiſſimus Limonum ſuccus, atque Aurantiorum, aqua dilutus efficaciſſime putredini reſiſtit, eoque large exhibito variolas confluentiſſimas æſtivo præſertim tempore ſanatas fuiſſe ſæpiſſime expertus aſſerere non dubito: utor quippe largiter in ſuppuratis variolis, & in qualibet putrida, ſcorbuticave affectione.

XXIII. Aſt acidorum, fortium præcipue, vis ad illud potiſſimum videtur dirigi, ut quaſi luctam agendo in putrida, ſeu alchaliſata liquida, hæc vel moderetur, ut minus lædant, vel in neutram ſubigat naturam, vel ſuperet ita, ut acidum ipſum prævaleat. Ex his varia animali œconomiæ poſſunt incommoda quandoque evenire. Purulenta non ſemel, aut putrida cacochimia adeo late Corpus animale poſſidet, ut nulla ab acidis quibuſcumque moderatio obtineatur. Quod ſi acidorum, etiam valentiorum conſideremus in ſolida actionem, ipſa ab illis corrugari quidem poſſunt, ſed corrugationem major inde ſequitur debilitas, laxitaſque ſtatim ac præſentia acidi deeſt.

XXIV. Quæ tamen dum animadverto, minime cenſeo eſſe acida in medendo animale putridum excludenda.

(28) Id. ib. in præfat.

da. Valent enim mirimode ad alchaleſcentiam ipſam frænandam, atque ſine ipſis manca meo indicio eſſet Medicina. Viam ſternere mihi in animo erat ad oſtendendam majorem, tutioremque Peruviani Corticis efficaciam, ubi ſubigenda non ſolum ſit putrida exaltatio liquidorum, & purulenta cacochimia corrigenda; verum ſolida ipſa ſubſtinenda ſint, ne a diſſolvente purulento miaſmate deſtruantur penitus.

ARTICULUS VII.

Cortex Peruvianus puris cauſſis obſiſtit, atque effectibus.

XXV. De Peruviano Cortice non audeam pronunciare, quo Sale, quo Oleo, quo tandem Spiritu putredinem, & pus avertat, corrigat, ejuſque diffuſionem prohibeat: non enim de Chemica ejus analyſi loquar, cum vix diſcrepet ab alia vegetabilis cujuslibet. Illius cineres a cineribus vegetabilium fere omnium non differunt: & magnes non quidem confertiſſimas, ſed aliquot attrahere de ejus cinere obſervatur moleculas, quæ ferri exiſtimari debent: ut de aliorum vegetabilium cineribus plus minuſve attrahit.

XXVI. De Cortice pro præſenti quæſtione nihil proferendum eſt, niſi quod certum experientia docuit, & monſtravit perpetua obſervatio. Sed certum experientiæ, & obſervatione demonſtrantibus, & continuo verum eſt Chinam Chinam animalia liquida, & carnes a putrefactione defendere; putrefactionem ſiſtere, quæ inceperat; ideoque diffuſionem putredinis cohibere. Ad nauſeam fortaſſe repeterem hoc lo-

co,

co, quæ jam nota de antiſeptica Corticis vi experti ſunt currenti ſæculo, & paucis ab hinc annis viri clariſſimi (29), eaque non pauca, qualia ſint, ſed certe fidelia, quæ ipſe ad ſummum immortalis memoriæ Morgagnum in meo Specimine inſcripſi (30).

XXVII. Sed & hoc propoſito aliquot tentavi experimenta circa recens pus. Eductum hoc de externo mammæ abſceſſu, quod indolis erat deterioris, ſubobſcurum nempe, fœtidum, in binas æquales partes diviſum detinui 24. horarum ſpatio duobus in vaſculis. Ipſis obſervandum erat oculis in puris portione, cui Cortex Peruvianus immiſcebatur, idem pus craſſius fieri, & vix fœtorem amplius reddere, colore autem mixtum eſſe de ipſo pulvere, in qua autem portione nihil additum erat, iiſdem in circumſtantiis loci, caloris, durationis &c., pus reddi ichoroſum, atrum, liquidius, & fœtidiſſimum.

XXVIII. Quin igitur repetantur obſervata, & experimenta, quæ certa habemus de antiſeptica Corticis virtute; liceat ſuper hæc data aliquam ſtruere conjecturam, qua Chinæ Chinæ effectus iidem explicentur accommodatiſſime. Agere primum videtur Cortex Peruvianus in chilificationis potiſſimum officina, gaſtricis primo ſuccis talem conferendo temperiem, qualis apta eſt laudabilem parare chylum, cujus ſcilicet elementares particulæ cohæſionem invicem habeant *pro-*

cul

(29) Inter quos memoro laudatum jam Pringle &c, memor. præſertim 11. exp. 13., & Huxham l. c. plurib. loc., Mead cap. 3. de variolarum curat. &c. &c.

(30) Specimen obſervationum, atq. experimentorum, quibus Peruviani Corticis vis antiſeptica &c. &c.

cul a coagulatione proximiorem. Similem & in fibris ſolidis effectum tum ventriculi, tum tenuium inteſtinorum producere videtur, quas præſentia putridi, aut purulenta cacochimia laxiores quidem ſemper reddunt. Viribus inde vitæ commiſſus nutritius liquor, *Corticis medio* ita *paratus*, *correctuſve*, in ſanguinem convertitur, qui ſolida enutriendo, aptus eſt idoneum cohæſionis gluten fibris applicare elementaribus, eaſque reparare: unde & ſanguis ipſe, & ſolidæ fibræ *diſſolventi volatili putrido*, & *purulento ex ſanguine* reſiſtant.

XXIX. Quævis porro experimenta ad animalium ſubſtantiarum a putredine præſervationem Cortice Peruviano tentata, ſeu ad illas jam putreſcentes reparandas, illud exhibuerunt adnotandum, quod fibræ ad *ſtrictiorem contactum* applicitæ fuerunt illæſa organica textura.

XXX. Hæc autem efficienda a Cortice, non quidem expectari debent ab una ejus remedii applicatione. Diu enim continuari debet, & repetitis ſæpe doſibus, licet parvis, remedium hoc, ut dicendum infra. Hæc ſane operando Peruvianus Cortex præveniet non ſolum putridam diſſolutionem, ſeu purulentam, ſed & incboatam ſiſtet. approximando ſiquidem ſua intermixtione elementares liquidorum, ſolidorumque partes, quas diſſolvens *purulentum*, *putridumve* miaſma ſejungere, atque ita deſtruere efficax eſt. Longo, diuturnoque igitur Corticis uſu in naturali organicaque conformatione poſſunt fluida, ſolidaque ſuſtineri, ad eamque reduci; cohiberi putrida diſſolutio; atque purulenta cacochimia ſuperari. Hoc ſenſu exiſtimo ip-

 ſum

ſum Corticem validiſſimum eſſe antiſepticum, & puris reſiſtere cauſis, & effectibus. Non vero, quod purulentum, putridumve diſſolvens, ut acida, luctа oppugnet deſtruatque; neque quod ſuppurationum primitivas cauſſas auferat.

XXXI. Cur autem hæc operando Cortex Peruvianus non valeat ſimiliter in iis morbis, ubi effuſiones contingunt liquidorum, ipſiuſque ſanguinis? Valet procul dubio (31), cum putridum ſolvens laxitatem in fibris elementaribus produxerit, & laxitatem cruori, unde illarum ægritudinum hæc cauſa ſit: eoque vel tutius, ſi Cortici quandoque aliquid addatur anodini, quo irritabilitas, ſenſibilitaſque inteſtinalium fibrarum auctæ minuantur. Verum minime proficuus eſt, imo & noxius non ſemel, quod ſerio advertendum, quando rigiditas, nimiaque vis liquidorum ſolidorumque morbos illos procreet.

ARTICULUS VIII.

Comprobatur obſervationibus in morbis ex pure, Cortice ſuperatis.

XXXII. ASt nulla aptior, concludentiorque adduci poteſt ratio, ut ſumma comprobetur Chinæ Chinæ efficacia in morbis purulentis, atque in puris collectionibus, quam quæ ex obſervatione, & ſucceſſibus fauſtis in iiſdem circumſtantiis petatur. Ope-

(31) In diabete quidem, ſudoribus colliquativis, febribus diſſentericis autumnalibus, hæmorragiis a ſundente putrido &c., probatæ efficaciæ eſt antiſepticus Cortex: quod ſæpiſſime expertus aſſero.

Operæ hinc pretium duxi paucas ſubjungere morborum, de quibus quæſtio eſt, hiſtorias, quoſque remedium noſtrum ſanavit.

Ipſis meæ praxeos medicæ exordiis tractavi non paucos pulmonum abſceſſibus, atque inchoata tabe quaſi perditos, conſumptosque, quos ad laudabilem valetudinis ſtatum reſurgere obſervavi uſu potiſſimum Corticis Peruviani, parca quidem doſi, ſed diu nimis exhibiti: atque illorum aliqui talem denique adepti ſunt ſanitatem, qua valuerunt ſibi victum laboribus comparare; de aliorum vero, ut ſcribendi ſinceritas eluceat, in ſanitate perſeverantia nihil audeo pronunciare, cum de ipſis ſciſcitari opportunitas mihi data minime fuerit in poſterum.

XXXIII. Ab illo autem tempore uſque ad præſens, ubi mihi neceſſitas fuit in puris collectionibus pulmonaribus Corticem adhibendi; exhibui tutius ſub pilulari forma, ſyrupis ut vocant pectoralibus miſcendo Corticem pulveriſatum, & addito quandoque glycirizæ pulvere, aut alio pro re apto remedio, pilulisque ſuperbibendam exhibebam potionem ſimiliter opportunam; animadvertebam denique abſuiſſe omnem inflammationem. Vomicis & pulmonaribus apertis, atque in empiematibus, tunc cum hi morbi diuturniores redditi purulentam cacochimiam efformare inceperunt, non ſine ſenſibili beneficio uſus non raro ſum Peruviano Cortice: fateor tamen non ſemper ſuperatos fuiſſe eos morbos, & a remedio abſtinui, cum læſiones organicas, eroſioneſque profundas arbitrabar adfuiſſe.

XXXIV. Ampla in perinæo ſuppuratio contigerat ruſtico cuidam juveni, quæ ſerpens cuniculos eſſodiebar per inguinum alterutrum ad uſque pubem. Conſtitit denique profunde in ipſo perinæo, in quo cœperat, ibique depaſcebatur alte vicinas partes, & intima penetrans, veſicæ urinariæ tunicam offendit, adeoque croſit, ut ultra omnem expectationem, quodam mane, cum ulcus tractaretur, ſuper linteola, & fila depoſitus, mirantibus mihi, & Chirurgo, & adſtantibus obſervandus occurrerit lapis compreſſe ſphericus, aſper, lineamentis fere inſculptis humanam faciem quaſi repræſentans, & magnitudine ovum gallinaceum parum ſuperans. Minabatur porro partium deſtructionem, ipſamque ægrotantis mortem hæc ſuppuratio peſſima, tam lata, tamque profunda. Attamen valida Corticis Peruviani, ab ipſo etiam ſuppurationis initio ante excluſionem lapidis, & large, & diu a me præſcripti vis gangrænam avertit, & poſt illum certe rarum lapidis egreſſum, ulcus, per quod lotium puri commixtum excernebatur, per plures adhuc hebdomadas Cortice numquam intermiſſo, abſterſum denique, conglutinatum, occluſumque penitus eſt, lotio per naturales redeunte vias, convaluitque æger omnino.

XXXV. Homo nauticæ dicatus Arti annorum circiter 60. ab ebrio ſocio, hoc eodem anno, ſauciatus eſt acuto latoque cultro infra hipocondrium ſiniſtrum, & ilei criſtam vulnere amplo profundo, ex quo magna facta eſt ſanguinis effuſio extra, atque intra abdominis cavitatem. In Noſocomio receptus exanimis extremum vitæ periculum jam ſubiturus videbatur.

Pe-

Peritiſſimus illum excepit, tractavitque Chirurgus Spadoni, atque me conſulente modicæ ad tertiam uſque reiteratæ fuerunt ſanguinis emiſſiones, tenuiſſimo & raro æger enutritus cibo. Accenſa eſt inde poſt dies aliquot ex ſuppuratione febris urens, & demum magna ex vulnere fœtidiſſimi puris copia educebatur, cooperante ad eductionem puris ſolertiſſimi Chirurgi induſtria. Febris poſtmodum facta eſt lenta, conſumens, pulſus exilis, celer. Itaque ad Corticis Peruviani anchoram confugiendum eſſe duxi, & exhibui ad drachmas uſque duas pro doſi, repetita pluries primis diebus, minori dein, tandem ſemel in die. Hoc diu continuatum nobile remedium optatos ſenſibiliter effectus produxit. Melior obſervabatur puris indoles, quantitas quotidie minor· atque æger reviviſcens laudabili fruebatur cibi appetentia, febris ſenſim ſine ſenſu extincta, vulnus denique clauſum eſt. Aſt convaleſcens Nauta inopinato tentatur valido febrili frigore, calidiſſima deinde, & longe protracta febri. De nova ſuſpicatus ſum ſuppuratione, nec ideo remedium aliud præter regimen dieteticum, & diluentia præſcripſi. Primam ſecunda, hanc tertia ſequuta eſt febris; atque iſta percurrente, per faciem, pectus, & brachia rubræ maculæ adparuerunt. Hæſitabam an novus hic morbus a reaſſumptione reſidui forſan in abdominis cavitate puris judicandus eſſet, an potius ab excitato variolarum fomite: confluebant enim variolæ per Civitatem, neque quinquagenarius æger ſe variolis affectum umquam fuiſſe recordabatur. Uno verbo in variolas converſæ puſtulæ videbantur, & curſum, ut diſcre-

ſcretæ quidem, ſed copioſæ variolæ, morbus hic placide abſolvit: ita ut præter regimen, & paucula pro re remedia, atque non omiſſo, moderatis certe doſibus, & poſt peractam ſuppurationem, Peruviano Cortice, facili negotio æger ſanus evaſerit, & bona fruens valitudine vivat pleno robore nauticis addictus laboribus.

XXXVI. Recentiſſimam hiſtoriam alteram lubet ſubjungere. Pauper juvenis annorum circiter 20. ad Noſocomium fuit delatus acutiſſima correptus febri. Rubicunda facies, pulſus duri, frequentes, mens obſcurata, reſpiratio gravis, ſanguinis expoſcebant eductionem, potiones nitratas, clyſteres &c., quibus non obſtantibus peractis recurrebant febres ſine manifeſta periodo, more ſubcontinuarum, vel quaſi continuarum. Confluentibus autem in Noſocomio febribus periodicis, Peruvianum antifebrile expurgatis primis, ut vocant, viis erat in opem revocandum. Reſipuit revera tertio ab Corticis exhibitione die, moderata, non quidem victa, febri æger, qui de acuto dolore pollicis in ſiniſtro pede querebatur, & retulit inſictam in eo digito de vepreto ſpinam pluribus ab illinc diebus morbi cauſam fuiſſe. Digitus interim obſervatus enormiter tumens, rubens, & profunde jam ſuppuratus erat: quare ne obſtarem ſuppurationi, cui Corticem reſiſtere expertus ſcio, hujus dimiſi uſum, remque diluentibus, & peritæ Chirurgi manui commiſi. Sed detumebat quidem de die in diem digitus, unde multum boni puris educebatur quotidie, dolor evanuit, nullo tamen ægrotantis levamine, niſi quod

acu-

acuta in lentam, continuamque commutata eſt febris, atque æger ipſe macie conſumebatur, videbaturque fieri ſtupidus. Totum mox crus ſiniſtrum dolens, tumens, contractum, immotum, nullo tamen rubore accenſum obſervatum eſt. Suſpicabar jam de puris reaſſumptione, parum cum puris de digito exprimebatur, qui tandem naturalem formam acquiſivit, optimamque cicatricem duxit, crure adhuc dolente, contracto, tumente, immoto. Hectica judicabatur conſumi febri juvenis miſer, qui lectulo decumbens fæcibus, lotioque ſe exonerabat in lectulo. Igitur ſpes omnis mihi erat in Cortice Peruviano ad purulentam cacochimiam moderandam. Exhibui commixtis aliquot Caphuræ granulis. Aliquot elapſis diebus non ſe quidem melius habebat æger, ſed morbo reſiſtens ſtupiditatem amiſit. Elapſa adhuc hebdomada dolore affectus eſt in dextera mamma, crure jam non amplius dolente extenſo, & reddita mobilitate ſano. Tumuit poſt paucos dies mamma affecta, & paucis inde diebus adeo crevit tumor mollis dolens, ut mamma videretur lactantis obeſæ mulieris. Inciſus tandem a Chirurgo tumor miram effudit puris quantitatem, *tenuis*, *atri*, *fœtidi*. Obſervanda hic obiter eſt reaſſumptio, ſeu evidens metaſthaſis puris de digito, crure ſiniſtro ad dexteram mammam, & puris degeneratio in deterius: erat enim bonæ indolis in digito pedis, peſſimæ in mamma. Dempta tum a Cortice Caphura, illum exhibere exiſtimavi minori doſi, ter autem in die repetita. Pus adparuit minus atrum poſt plures dies; ſed æger tuſſiebat frequenter, & expuebat purulenta, quod de pul-

mo-

monica læſione judicium erat non dubium. Præter expectorantia, oximel ſimplex, & diluentia, juſſi tunc ſub alia forma adminiſtrari Corticem: huic enim commiſcui radicis Glycirizzæ pulverem ſubdupla ratione ad Chinam, & tantillum Myrrhæ: quæ omnia cum ſyrupo Althææ ſimplici redacta in pilulas, harum quatuor vel quinque quotidie præſcripſi, & hauſtum ſuperbibendum potionis pectoralis. Pus deinceps denſius, album, & quantitate de die in diem imminutum notabatur, tum quod de mamma exprimebatur, tum quod expuebatur tuſſiendo. Denique parum, & fere innocua expuebat, tuſſiebatque rarius, febrique extincta æger bona enutriebatur cibi appetentia, acquirebat vires, per Noſocomium valetudinarius ambulabat, ductaque in mamma cicatrice, ſanus tandem dimiſſus eſt. Poſt 25. circiter diem ad Xenodochium rediit, initio nempe hujus, quo ſcribo, menſis Octobris; ſed ſano omnino pectore, febribus periodicis, iiſque mitibus correptus, quibus iterum ſolis amaricantibus, & ventris blanda purgatione ſuperatis, poſt 12. diem Noſocomium ſanus reliquit.

XXXVII. Juvenem præ manibus habeo, dum hanc pariter ſcribebam Diſſertatiunculam, qui tredecim circa ab hinc menſibus abſceſſum in ſiniſtro rene paſſus minxit deinceps purulentam continuo urinam. Pus in matula depoſitum quantitate modo plus, modo minus, atque notæ nunc melioris, modo deterioris obſervatum variis temporibus fuit. Sed irritis quibuſdam remediis, quibuſdam neglectis, ſub finem elapſi proxime Auguſti, iterumque ultra idus Septembris, ma-

gnam

gnam cum lotio poſt prægreſſam acutam trium circiter dierum febrim, horridi puris fœtidiſſimi copiam emiſit. Viterbienſem acidulam, qua & uſus alias fuit inutiliter, thermalem aquam denuo præſcripſi afflicto juveni, ſed pari ſucceſſu. Ad Corticis Peruviani uſum, quem Auguſto menſe jam exhibueram, deveni, nec ſine fauſto eventu. Pus inodorum, album, denſiuſculum excernebatur primo, mox minuebatur quantitate: nunc fere a pure omnino immunes obſervantur urinæ ita ut aliquid Terebinthinæ Venetæ jam nunc alternis diebus ſumendæ ſub pilularum forma exiſtimaverim præſcribere ad ulceratum viſcus abſtergendum penitus, ac ſolidandum, numquam tamen relicto Cortice, quo continuato, ac dein pro re moderando, mecum illuſtris æger, qui emaciatus debiliſque primum, nunc meliori fruens corporis habitu, ſperat, ſi D. O. M. conceſſerit, plenam renis ſanationem.

XXXVIII. Alias nec paucas numero haberem huic propoſito hiſtorias, quas ne longus nimium ſim lubens prætereo, & aliquarum ſortaſſe notandas circumſtantias deſiderarem, quæ memoria exciderunt. Interim nonne enarrata uſque nunc ad evidentiam probant *validam*, *tutamque Corticis Peruviani efficaciam in puris*, *quovis in viſcere ſint*, *collectionibus?* Nonne affirmari poteſt omni procul erroris metu illud remedium puris indolem pravam in meliorem mutare? puris fluida liquantis, deſtruentiſque ſolida effectus moderari? ſolida itaque, & fluida ita in elementorum nexu confirmare, ut diſſolventi puri, purulento liquido volatili, acri Sali illi putrifero reſiſtant? Uno

ver-

verbo ex obſervatis, experimentiſque ille eſt porro Chinæ Chinæ effectus: *Animalium partium diſſolutionem præpedire, inchoatam cohibere.*

Concludendum ergo nullum in materia medica notum eſſe remedium Peruviano Cortice præſtantius, quo uti poſſint Medici, cum manifeſtum eis certo ſit, collectionem puris adeſſe in quavis Corporis parte.

ARTICULUS IX.

Cautelæ in uſu Corticis obſervandæ.

XXXIX. ATtamen cum in tractando adeo gravi ſanitatis negotio nihil ſine cautelis ſit operandum, animadvertendum ideo cum cura eſt, remedium, de quo agitur, ſuppurationibus reſiſtere: ſed ſuppurationes eſſe quandoque promovendas. Abſtinendum ab uſu Corticis, cum inflammatio adhuc in abſceſſibus vigeat conſpicua: & vigere, collecto etiam pure, poſſe inflammationes ipſe jam notavit Hippocrates, & Sydenamius (32), & obſervatur quotidie iis in caſibus, ubi plurima ſunt vaſa inflammata obſtructa, quæ amplum conſtituentia tumorem, maturari, ut medico loquar ſermone, nequeunt omnia ſimul, unoque die. Indicant inflammationis præſentiam dolor, febris acuta, pulſus durus, urinæ flammeæ, ſitis &c., & in externis partibus tumor, rubor, dolor &c., ut patet medicam exercentibus praxim.

XL. Diatheſis purulenta, emaciatio lente progrediens, febricula, poſt paſtum exacerbans, pulſus humi-

(32) Oper. omn. ſect. 6. cap. 3.

miles, exiles, celeres &c. poſt prægreſſam viſceris, ſeu partis alicujus inflammationem, de collecto pure indicia ſunt, quæ mirabilis Chinæ Chinæ uſum poſtulant.

XLI. Notavimus obiter (Artic. IV. num. 16.) *acidam* quandoque puris indolem. In lactantibus hoc præſertim pueris indubium eſt, in quibus nulla expectanda a Cortice Peruviano ſalus: quamvis enim puerulus lactea cruſta affectus aceſcente pure undique ſcateat, & per viſum & internis aurium, narium, aliarumque partium in abſceſſibus, obtuſa tunc reperietur Corticis efficacia: acidum enim miaſma elementares fibras compingit potius, corrugatque, non vero ſejungit, ſolvit, deſtruitque, ut purulentum illud, quod alchalinum vocatur. Ubi vero acoris præſentia evaneſcit, prævalente putredine, ſeu alchalina purulentia, quæ ſuis peculiaribus conſpicua notis ſit, Corticis tum uſus erit certe proficuus.

XLII. Doſis denique, modus, continuatio in Cortice exhibendo, & quibus coadjuvari poſſit mediis, & quibus confirmanda valetudo ſit poſt uſum Corticis, ex conſilio hæc pendent prudentis Medici, cui morbi, & ægrotantis circumſtantiæ indicabunt. Nihil ſane magis exitiale eſt Medicinam facientibus, quam generalibus præceptis mederi (33).

AR-

(33) Vix ulla perpetua præcepta medicinalis Ars recipit. A. Corn. Celſ. in præfat.

ARTICULORUM INDEX.

Articulus I. *Præloquium.*

II. *Quid pus.*

III. *Quibus cauſis pus efformetur.*

IV. *Malæ puris qualitates.*

V. *Horridi purulentæ materiæ effectus.*

VI. *Quæ puri obſiſtant remedia.*

VII. *Cortex Peruvianus puris cauſis obſiſtit, atque effectibus.*

VIII. *Comprobatur obſervationibus in morbis ex pure, Cortice ſuperatis.*

IX. *Cautelæ in uſu Corticis obſervandæ.*

FINIS.